

Hurones: Quis enim fortis esse possit, qui se hostem esse Dei, et amissa mortali vita subeundam sibi mortem immortalem Sciat? Nulos vero milites, quām Lauretano è pago, sibi libentius adjungent Galli duces: quippe, ut fatentur, certo scimus illos in acie nunquam signa deserturos, aut ingruentibus hostibus cessuros. At quanti fiunt a Gallis, tanti Gallos ipsimet faciunt, ac Ludovicum Galliæ Regem in primis venerantur, tum ob egregia ipsius facinora, tum ob studium propagandæ ac tuendæ religionis, quo præstare illum norunt. Priusquam ad bellum [et ad deliberatam, si res ferat, necem] gradiantur, Numinis amicitiam aut confirmare aut instaurare student, peccatis apud sacerdotem depositis, et accep-tam in sacramento gratiam enixe tuentur, quemad-modum ipsemet in gesto nuperrimè bello comperi, cui cum illis interfui. Barbarus ex Anglorum elapsus castris, et Quebecum accurrens, nunciavit ad-effe hostem cum tribus hominum millibuf. Marchio Vaudrevillius, rei bellicæ præfectus, non expec-tandos Anglos censuit. Igitur quā Gallorum quā barbarorum duo millia properè colligit. Lauretani se præteritos rati, quia cum popularibus suis con-scripti non fuerant, unum è ductoribus suis ad me misere, qui de injuria, ut ipsi amicè interpretabantur, expostularet. Cui ego, brevi ad futurum a Guberna-tore centurionem respondi; et adfuit in tempore ipso, Lauretique incolas ad belli societatem invitavit. Ingens pago toto lætitia. Nemo qui per ætatem